

tum defluat, aut in aliquo vaso ac hunc usum parato recepta, in ipsius Baptisterii, vel in Ecclesiae sacrarium effundatur.

22 23 Non decet, quod Aqua, qua unus baptizatus sit, alter baptizetur, quia hoc pacto Aqua potest fieri immunda per contactum; et immisceri cum aliqua re non convenienti. Ideoque effusio, seu infusio facienda est non supra Fontem consecratum, sed supra catinum, seu aliud vas ad id paratum, quae Aqua, ut supra dictum est, reponatur in Sacrarium prope fontem constructum.

DE
MINISTRO BAPTISMI

TITULUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus ipso jure habet potestatem baptizandi.
- 2 Sacerdos simplex, nec Diaconus habent similem potestatem.
- 3 In casu necessitatis quilibet potest baptizare.
- 4 Episcopo succedit Parochus, qui gerit vices Episcopi.
- 5 Parochus habet tantam potestatem in sua Parochia, quantam habet in sua dioecesi Episcopus.
- 6 Parochiani omnes a proprio Parocho baptizari debent.
- 7 Parochus peccat baptizans non sibi subditum.
- 8 Post Parochum quilibet Sacerdos potest baptizare de ejus licentia.
- 9 Licentia debet esse expressa, vel praesumpta.
- 10 Quod tamen intelligitur de Baptismo solemnium.
- 11 Post Sacerdotem succedit quaelibet creatura humana.
- 12 Ex vi consuetudinis potest quis a non suo Parocho baptizari.
- 13 In casu necessitatis omnes baptizare possunt.
- 14 Sed inter illos servandus est ordo tum naturae, tum gradus.
- 15 Qui ordo non potest praeverti sine juxta causa.
- 16 In Partu difficili mulier debet baptizare honestatis gratia.
- 17 Obstretices instrui debent, et examinari circa Baptismum.
- 18 Instruere obstretices est munus Parochiale.
- 19 Doctrina D. Caroli circa instructionem obstetricum.
- 20 Parentes filios baptizare non debent nisi in casu necessitatis.
- 21 Tunc nullam contrahunt affinitatem.
- 22 Cognatio spiritualis non impedit usum Matrimonii si filius sit legitimus.
- 23 Si filius sit illegitimus, tunc Pater baptizans non potest Matrimonium contrahere cum illius Matre.

1 2 3 Episcopus ipso jure habet ordinariam potestatem quoslibet, in sua Dioecesi, baptizandi; Sacerdos simplex, minime, et multo minus Diaconus. Quilibet tamen in casu necessitatis baptizandi potestatem habet. Fulien. *de Sacram. c. II.* quod intelligitur etiam per Barbosam *de Offic. et pot. Par. c. 18.*

unica Infantis apparens aqua ablui deberetur; clarum enim est quod in istis, et similibus casibus, ob honestatem, et pudorem, nonnisi Foeminae competeret hoc officium baptizandi.

Insuper dari potest, quod Foeminae unice calleat formam Baptismi, praecipue in locis ruralibus, ubi saepe saepius maxima ruditas personarum est: Tunc, licet adsit Vir, sed ignorans formam, et e converso Foeminae in forma sit instructa, ut solent esse ex officio obstetrices, Foemina habere debet supra Virum praeminentiam.

17 Et quoniam de obstetricibus sermo incidit: maxima cura est, in Civitatibus praecipue, apud Medicos, ut Foeminae, quae obstetricum artem exercent, bene, et rationabiliter instruantur, et examini subjaceant ad manus suum exercendum, ut puerperia bene ac feliciter succedant, licet quandoque periculosa, et difficillima; ad hoc ut in promptu habeant remedia auxiliaria et consilia ad feliciter extrahendos infantes ab utero Matrum. Hoc pro bono Republicae regimine, laudabiliter sit, ne in ortu suo, homo corporaliter periclitetur; nam manus, et oculi obstetricum saepe falluntur, Text. in cap. causam 14. de probat. Verum ista diligentia raro (proh pudor!) adhibetur ad succurrendum periculo spirituali Infantium nascentium, obstetrices nec instruendo, nec examine approbando circa illa omnia, quae non modica sunt, et ad rite conferendum Sacramentum Baptismi in casu necessitatis inserviunt. Per Vicarios cogi possunt obstetrices ad recognoscendum puellas stupratas, Peregrin. Prae. Vicar. p. 4. sect. 1 n. 46. et illis creditur an mulier sit praegnans. l. 1. ff. de insp. ventr. Unice in re tanti momenti quanti est administratio Baptismi, nempe Sacramenti summae necessitatis, nullum sit experimentum, nullum examen praesertim in locis ruralibus, ubi maxima ignorantia plerumque viget.

18 Inter munera parochialia hoc unum enumerat Monacell. Form. Tom. 1. tit. 10. form. 5. et 6. n. 5. ut obstetrices bene instruantur per eum circa formam, et materiam hujus Sacramenti, et ab Episcopis approbentur, ut monet D. Corol, in Conc. prov. 5. relat. a Gavant. Manual. Episc. Verb.. Baptism. n. 26. et tradunt communiter DD. quos refert Romaguer ad Synod. Gerund. lib. 3. tit 18. c. 2. num. 18. Sed doctrina haec de obstetricibus nimis compendiosa est, nec par necessitati, ut a Parochis clare, et distincte habeatur.

19 Igitur quae in Actis Mediolanensis Ecclesiae descripta sunt, fideliter hic ad omnium notitiam reportabo: *Obstetrices, poena arbitraria Episcopi proposita, officium non praestent nisi per Vicarium foraneum, si in Diocesi sunt, si vero in Urbe, per eum, cui Episcopus id curae dederit scripto, probatae sint idoneae ad Sacramentum Baptismi, cum necesse erit, ministrandum. Quae autem probata est, cum baptizabit, cu-*

ret, quoad ejus fieri potest, ut duae saltem Mulieres, ac Mater praesertim, si potest, testes praesentes adsint, quae in baptizando, verba ab ea prolata audiant. Parochus vero, cum perquiret, an Infans baptizatus sit, diligenter obstetricem, et testes etiam de verbis prolatis interroget, ut sibi constet, an Baptismi forma recte adhibita sit, an vero secus, quamobrem oporteat infantem a se baptizari. Conc. Prov. 5. P. 1. Insuper. Parochus baptizandi formulam non solum populo generatim, sed etiam privatim, ac praecipue Obstetricibus, in Ecclesia tamen, plane ostendat ac tradat, quam etiam an illae recte teneant, aliquando eodem loco accurate videat, ad diligenter quaerat. Conc. Prov. 4. p. 2. Obstetricibus autem, quae baptizare consueverunt, formamque Baptismi tenent, Baptizare quidem necessitate urgente permittitur, etiam praesente Laico, hujus Sacramenti conficiendi plane ignarus rudisque sit. Act. part. 4. Instruc. Bapt. Verum gravissime Parochus monebit quam graviter illae peccent, si quando mortis necessitate non cogente, Baptismum ministrare audent. Obstetricum, quae intra Parochiae suae fines habitant, nomina certo libro descripta habeat, ut illas interdum instruat, non solum Baptismi quae materia sit, sed quae etiam forma, et quae intentio baptizantis. ibid. Ista Obstetrices perquirendae sunt peste imminente, quae mulierum in eo morbo, suspitione versantium partum adjuvent. Conc. Prov. 5. p. 2. Sed de Obstetricibus satis.

§. III. Pater, aut Mater propriam Prolem baptizare non debet, praeterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur qui baptizet; neque tunc ullam contrahunt cognationem, quae Matrimonii usum impediatur.

20 21 Cum cognatio spiritualis usum impediatur Matrimonii, ut statuit Concil. Trid. Sess. 24. de Ref. Matr. cap. 2. ideo D. Carolus Act. 4. monuit Populum suum, Parentes debere omnino cavere, ne liberos suos baptizarent. Quae admonitio innititur cap. ad limina, et cap. de eo 30 quaest. 1. cap. si vir de cognat. spirit. Dec. in d. cap. 2. num. 159. de Judic. Navar. Man. cap. 16. num. 34. et 22. num. 40. in fin. Bellett. disp. par. 1. §. 1. num. 15. Verum quia necessitas cuicumque derogat legi, Textus limitat hanc regulam, si hoc non fiat absque manifesta necessitate, cum scilicet, alii quoquomodo apti non adinveniantur, et periculi urgeat necessitas. Barbosa vero angustiore sententiam tenet, quam postea, et ipse limitat, quasi eum poeniteat nimis dixisse, de Off. et pot. Paroch. c. 18. num. 35. dicit Doctor, cognationem spiritualement contrahere



omnes baptizantes in necessitate, quamvis sit Pater, in tantum ut privetur jure petendi debitum a sua conjuge, nisi quando (et haec est etiam limitatio Rubricae, quae est supra omnes doctores) alius non reperiatur, qui possit Infantem baptizare, Sanctarel. *Var. resol. quaest. 72.* Notandum porro quod haec cognatio spiritualis non impedit usum Matrimonii tunc quando filius est legitimus. Si vero ex fornicatione talis filius susceptus sit, tunc Pater non potest Matrimonium contrahere cum ipsius Matre, Navar. *l. c. vers. Interrogatus*, Bellett. *l. cit.* et ratio in promptu est, quia illegitimus filius natus est, nondum contractu Matrimonio, ideo cum ante Matrimonium adesset hoc impedimentum, necessitas Baptizandi non excusat, cum jam Pater, et Mater inter se soluti sint tunc temporis.

DE
BAPTIZANDIS PARVULIS

TITULUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Parentes non videntur obligari ad baptizandos filios infantes.
- 2 Possunt tamen obligari ex consuetudine.
- 3 Quare qui sine justa causa differunt, peccant.
- 4 Infantibus recenter natis facile imminet periculum mortis.
- 5 S. Carolus statuit ante nonum diem ministrandum Baptismum.
- 6 Infantes debent duci ad Ecclesiam pro Baptismo sine ornatu.
- 7 Tacita tolerantia permittit pompam in infantibus Principum.
- 8 Usus Ferrariensis Civitatis in deferendis pueris ad Baptismum.
- 9 Infans Baptizatus privatim in casu necessitatis, cessante necessitate, debet deferri ad Ecclesiam, ut suppleantur Ritus.
- 10 Ritus, et Caeremoniae influunt in bonum Creaturae.
- 11 Ablutio facta in utero matris clauso non valet.
- 12 Variæ opiniones circa Baptismum in utero.
- 13 Non Baptizatur quis in utero clausus.
- 14 Baptismus sic collatus saltem est dubius, atque ideo repetendus.
- 15 Potest quis Baptizari in utero clauso sub conditione.
- 16 Caput est nobilior pars hominis.
- 17 Per caput demonstratur forma essentialis hominis.
- 18 Quaecumque partes corporis humani capaces sunt Baptismi.
- 19 Umbilicus baptizari potest, quia est pars hominis; similiter et capilli.
- 20 Caput absolute baptizatur, caetera membra sub conditione.
- 21 Baptizatus sub conditione est sepeliendus in loco sacro.
- 22 Partus Caesareus caute tentandus est.
- 23 Nunquam vero à Clerico.
- 24 Foetus extractus repertus mortuus non baptizatur.
- 25 Si foetus una cum matre moriatur in utero, et non extrahatur, sepeliri debet una cum matre.
- 26 Foetus mortuus sequitur ventrem quoad sepulturam.
- 27 Cum expositis tutius agitur si administretur Baptismus.
- 28 Schedis collo expositorum appensis non semper credendum est.
- 29 Magna cautio adhibenda in baptizandis monstris.
- 30 Sermo est de monstris, ex persona humana natis.
- 31 Ordinario loci spectat pronunciare quid agendum de monstris.
- 32 Humana species debet apparere in capite.

n. 1. quando dicit: *Minister Baptismi solemniter, et ex pastoralis officio celebrandi est proprius Sacerdos.* Episcopus enim est summus Sacerdos in propria dioecesi; et clarius hoc explicat dum sequitur: *Officium baptizandi, per se primum convenit Episcopis, c. 9. n. 1.*

§. I. Legitimus quidem Minister Baptismi est Parochus, vel alius Sacerdos, a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus; sed quoties Infans, vel Adultus versatur in vitae periculo, potest sine solemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, sive Clerico, sive Laico, etiam excommunicato, sive fideli, sive infideli, sive Catholico, sive Haeretico, sive Viro, sive Foemina, servata tamen forma, et intentione Ecclesiae.

4 5 6 7 Episcopo succedit Parochus, qui in actu curae Animarum gerit vices Episcopi, Barbos. *dict. c. 9. n. 1.* et in propria Ecclesia habet tantam potestatem, quantam Episcopus in propria Dioecesi, Abb. *cap. 1. n. 28. de dolo et contum.* per Barbos. *ibid. n. 3.* Unde regulariter jure communi attento Parochiani omnes a proprio Parocho baptizari debent juxta theoreticam Innoc. *in cap. dilectis n. 4. de capell. Monach.* quam uno ore sequuntur adducti a Card. de Albic. apud de Luca *de Jurisd. d. 2. q. 6.* Quando enim Parochiae sunt distinctae (et fontem habent baptismalem) non est permissum uni Parocho ponere falcem in messem alienam, Rota coram Peuting. *dec. 102 n. 7.* Imo quod moraliter peccet Parochus baptizans eum qui sibi subditus non est, suis rationibus probat Gobat. *Theol. experim. tr. 2. de Bapt. n. 132.* Laym *l. 5. tr. 2. c. 7. concl. 2.* et praecipue illa, quia Baptizans sibi non subditum usurpat alterius jurisdictionem.

8 9 10 Post Parochum quilibet Sacerdos, sed de ejus licentia, baptizare potest, quae licentia debet esse expressa, vel rationabiliter praesumpta, Barbos. *ibid. c. 18. num. 9.* Atque hoc intelligitur semper in Baptismo solemniter, non autem in privato, necessitatis causa collato.

Ratio autem cur non possit simplex Sacerdos solemniter administrare Baptismum sine licentia Parochi, est, quia cum simplex Sacerdos non praesit alicui Ecclesiae, de jure non competit illi Sacramentum conferre, sed tantum ex commissione, Fulien. *d. de Sacr. XI.*

11 Post Sacerdotem quilibet, qui Creatura humana sit et usum rationis habeat, in casu necessitatis potest ministrare

Baptismum, dummodo materiam, et formam debitam servet, et intentionem habeat faciendi id quod intendit Ecclesia.

12 Regula generalis est, ut unusquisque baptizetur a proprio Parocho, hoc vero non obstante, ex vi consuetudinis, potest Parochianus ad alio, quam a proprio Parocho baptizari. Ita Dominicus Ursaya *disc. Eccles. T. 4. p. 2. disc. 2. num. 38.* qui affert decretum S. C. R.

§. II. Sed si adsit Sacerdos, Diacono praeferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, et Vir Foeminae, nisi pudoris gratia deceat Foeminam potius, quam Virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius foemina sciret formam, et modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant, et servant.

13 14 15 Advenit circa hoc Fulien. *l. c.* quod etsi in casu extremae necessitatis possit Laicus, Haereticus, Foemina, etc. Baptismum conferre, ut tamen hoc licite fiat, debitus ordo servandus sit, ita ut praesente Sacerdote Diaconus non baptizet, praesente Diacono Subdiaconus, aliique inferiores Clerici, praesente Clerico Laicus, praesente Fideli Infidelis, et praesente Viro Foemina; dummodo caetera sint paria; Et ratio est, quia praedicti sunt unice ministri necessitatis, quae necessitas non habet locum respectu Diaconi quando adsit Sacerdos, nec respectu Subdiaconi quando Diaconus praesens sit, atque ita de caeteris. Verba illa: *Modo caetera sint paria,* explicantur sic ab eodem Doctore: Si Sacerdos praesens, aut non possit rite Baptismum ministrare, aut nollet, nisi accepta in precium pecunia, quicumque alius inferior deberet baptizare. In his enim, et similibus casibus justa causa suppeteret, dictum ordinem invertendi. Quando autem justa causa deest, non potest ordo ille mutari sine peccato, aut veniali, ut si Mulier baptizet, praesente Viro Laico, aut mortali, ut si Laicus, aut etiam Clericus praesente, et renuente Sacerdote baptizet. Quando Diaconus possit solemniter baptizare, videri potest apud Clericat. *de Bapt. dic. 28. et 35. c. firmiter, de summa Trinitate.*

16 Dari potest casus, in quo super omnes adstantes, conveniat tantum Foeminae baptizare Infantem. Et casus est si Partus difficilis esset, et eum intra uterum baptizare expediret, vel si totaliter extra uterum Matris haberi non posset, et pars